Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 753
Quelle:
Copyright:

hominis contradicunt, eo quod per eum mors in omnes homines intrauit. Verum haec jam maximam partem ad *Tatianos Haeresi* 25. dicta fuere.

III. *fol.* 126. p. 2. *Incipit libellus Sancti dionisij de mistica theologia.* Ita: *Compresbitero timotheo dionisius presbiter. Trinitas supersubstantialis et superdea et superbona inspectrix* &c. Aliter vertit primus omnium *Pseudareopagitae* interpres latinus circa an. 858. *Joh. Scotus Erigena*, ut retuli *Vol.* I. P. 1. *col.* 682. Primum dico; non enim credo *Fabricio Bibl. Gr.* L. V. c. 1. §. 6. eum anteversum fuisse ab *Hilduino* S. *Dionysii* in *Gallia* Abbate circa a. 840—42. defuncto, cujus operam in traducendis Tutelaris sui Scriptis, ut tum credebantur, *Gallia Christiana* T. VII. *col.* 354. et *Historia lit. Franciae* T. IV. p. 612. sane non tacuissent. *Johannis* igitur cognomento *Saraceni* nostra est Versio, eaque ordine secunda, qui eam *Odoni* sive II. sive III. S. *Dionysii* Abbati cum Epistola misit. Adest haec Epistola in Codice nostro post Versionem; in *Opp.* vero *Areopagitae Colon.* 1556. cum Comment. *Dion. Rikelii* f. editis eidem p. 829. praemittitur. *Fabricius* in *Bibl. gr. cit.* aetatem hujus *Johannis* a. 1180. adfigit, pro quo in *Bibl.* ejus *med. Lat.* L. IX. annus 1118. legitur. Neutrum recte; nam *Odones* illi duo ab a. 1151. ad an. 1169. successive Coenobio *Sandionysiano* praefuere. Epistolam praedictam excipiunt in Codice ἀδέσποτως *Glossae in Mysticam Theologiam* hoc ingressu: *Mistice theologie beati dionisij tres habentur de greco in latinum translationes. Prima est Johannis Scoti, que antiqua translatio dicitur, secunda est linconiensis* (Roberti Grosthead Ep.) *quam ipse in suo commento prosequitur. Tertia est Johannis Sarraceni, quam Abbas* (Thomas) *vercellensis prosequitur in suo commento, de cuius principaliter Glossa, et etiam de Commento linconiensis Glozule ac notule, que secuntur, sunt sententialiter tracte.* Pace ignoti Glossatoris praeponendus est *Sarracenus Lincoliensi;* ille enim Sec. XII. hic autem XIII. scripsit, anno 1253. defunctus. Miror vero virum doctum *J. Fr. Bern. M. de Rubeis* in *Dissert.* praevia Editioni *Venet. Opp. Dionysii* 1755. T. I. c. 5. p. XIII. Translationem *Roberti Lincoln.* silentio praeterivisse, quae tamen in Edit. *Argent.* eorundem *Opp. 1502. fol.* 264. p. 2. f. mihi objacet, a *Scoto* et *Sarraceno* diversa. De *Thoma Vercellensi* a. 1226. extincto videsis *Bern. Pezii Dissert. Isag. in T. II. Thes. Anecd.* p. XVII. Ad calcem Glossae nostrae lego:

Ex binis Commentis (Vercell. et Lincoln.) *bis binisque diebus*
Hec humilis breuiter Glozula colligitur.